



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXXIV. Volmarvs. XIII. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

XXXIII. BRUNO I. XII. ARCH.

Bruno Henrici Aucupis filius, Ottonis M. frater, Pedit & gladio gloriosus, mirè profuit Ecclesiæ & Imperio; Imperatoris enim nunc in Italiam, nunc in Hungariam cum exercitu profecti in se suscepit munus & implevit strenuè, præsertim cum rebelles Lotharingios compescuit. Agnovit fratris beneficium Imperator gratissimus: ditiones enim Coloniensis Ecclesiæ bonis & privilegiis multum adauxit; quibus etiam majus incrementum Bruno adjecit, dum in Burgundiam abiit, sed & inde Rhemos divertit, ibidem calida febre extinctus, postquam Coloniensem Ecclesiam omnium bonorum heredem scripsit an. 965. Sedit an. 12. Conditor is fuit templi Panthaleonis, in quo sunt reconditæ Brunonis exuviæ, quas Rhemis Coloniæ translatas multis lacrymis profecti sunt inter indigenas Normanni advenæ à Brunone magno numero baptizati. *Vid. Albertum Kranzium de Saxonia.*

XXXIV. VOLMARVS. XIII. ARCH.

Volmarus de Ecclesia Coloniensi optimè meritus, serò tamen in supremam ejus Sedem ascendit, quòd obstarent Brunonis Antecessoris non minùs insignia merita, summa ad hæc natalium nobilitas, & inter Viros etiam Principes authoritas. His moti argumentis Lotharingi, Brunoni subdiderunt & colla & capita; at non ita Volmaro, quam inter brevissimæ vitæ causas numerârunt illi, qui post annos Sedis 4. Volmarum sepeliêrunt an. 969.

XXXV. D. GERO. XIV. ARCH.

D. Gero ex Lusatia Marchio à Coloniensibus electus Antistes, tantum primò displicuit Ottoni II. Cæsari, ut hic eidem deneganda duxerit insignia Viris Principibus